



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Illvstrissimo Cardinali Bellarmino Epitome
Controuersiarum Omnium huius Aeui
Lvthero-Calvinisticarvm Sub diuersis Titulis bis
Quadripertitis digestarum**

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiae, 1624

LXXXV [i. e. LXXXVI]. Contritio an sit Actio bona, libera, & Euangelica?

urn:nbn:de:hbz:466:1-11726

AD VII. Dicitur: nunquam docebitur. Nam tres etiam in Veteri Testamento fuerunt uisitatae. patet in Dauid, & Niniuitis.

AD VIII. Iudicium hoc temerarium est aut ignorantiae, aut malitiae; Id sequens aperit quaestio.

Q V A E S T I O LXXXV.

Quae sunt Pœnitentiae partes Rituales?

AUTOR. Historica hæc quaestio est ac ritualis; non Controversistica; nisi quantum Luthero-caluinistæ Kemn. & Calvinus mentiuntur. Semper igitur fuit Pœnitentia duplex: *Publica*; in qua peccatum publicum publicè luebatur: *Privata*, in qua priuatim priuata & oeculta Sacramentaliter expiabantur, cum Secreto naturali & Sacramentali. *Publica* erat Solennis, alia Non solennis. *Solennis* erat de culpa publici scandali: semel in vita vni concedebatur: Sacerdoti non poterat imponi, nisi degradato: Quique solennem egisset, ad Ordines nequibat admitti. Nec coniugibus imponebatur sine mutuo consensu; idque à solo Episcopo.

II. Pœnitentes *ordinem* tertium tenebant. Clerici primum; Fideles secundum. *Habitus* erat pullus, cilicinus, caput ralum. *Tempus*, quo imponebatur, erat dies Cinerum: reconciliabantur in die Coenæ, feria V. Pœnæ erant, abstinere ab S. Synaxi; à nuptiis, militia, à patrinatu baptismali: Carere aditu ad Clericatum: Extremâ Vnctione priuari: Omni die Ieiuniorum humiliare capita: Sacerdoti pro eis oranti: Sepelire mortu-

os debebant: Aliis stando orantibus, ipsi genua flectebant. &c.

Q V A E S T I O LXXXVI.

Contritio an sit actio bona, libera, & Evangelica?

EV THERVS *Disput. 1. contra Antinomos* propos. 2. ait Contritionem esse sententiam legis in conscientia, id est terror ex peccato & poenitentia legis. Quia Ierem. 23. *Verba mea sunt quasi maleum conterens petras.* Sic **LV THERANI RIGIDI** in idem contentiunt. Hinc tria inferunt: 1. Non esse liberam, sed extortam Passionem, non Actionem. 2. Eam pertinere ad Legem, non ad Euangelium. 3. Non esse opus bonum; quin omni opere bono spoliare. Sic Rigidi contra Molles Wittemburgenses; & Kemnitius.

LV THERANI MOLLES aiunt Contra. esse opus bonum, Actionemque Evangelicam. Sic in colloquio Altenburgensi. Et **CALVINVS** *Institut. libro 3. capis. 3. §. 20.* eisdem & Nobiscum assentit.

SVADENT illi sic. 1. Ierem. 23. *Verba mea sunt.* &c. 2. Quia experientia docet, verè contritos se sentire; mal boni, multa mala in se agnoscere, odio præmissisque digno se iudicare. 3. Terrores ipsi sunt, nisi fuga Dei, fremitusque contra Deum, & via ad desperationem.

AUTOR. I. Contritio non est terror. 1. Docent metaphoræ: quia Conteri non est contremiscere; nec contra: potest enim quis contremiscere, & non conteri. 2. Humilitas ferè semper adest comes Contritioni; at non ita terrori: patet in dæmonibus, qui contremiscunt.

II. Contritio est Actio libera; non coacta. 1. Sic Scriptura in meo *Antichristop. 3. q. 32.* 2. Quia Contritio est gratum Deo Sacrificium. *Psal. 50.* oculos Domini trahens. *Isa. 66.* habensque promissio-

missionem gratiæ: At Passio nil agit, nil meretur. 3. Quia volunt esse passionem, quoddam esse terrorem fingant: at hoc falsum patet supra.

III. Contritio pertinet ad Euangelium: Testibus Prophetis, Christo, Apostolis, quæ repeteat Antichristo. Ratio. Quia Euangelium etiã terret, & grauius, quã lex, minatur ignes inextinguibiles, vermes stridores, &c. Lex verò etiã consolatur spe promissionum.

Q V Æ S T I O L X X X V I I .

An includatur in Contritione odium peccati præteriti?

LUTHERUS in serm. de poenit. negat: sed potius vitæ nouæ studium. Confessuro tibi, ait, plus discutendum est, quantum diligas iustitiam, quam quantum odias peccatum: multoq; maiore, imò solo hoc labore tibi cogitandum est, quomodo futuram vitam agas bonam, quam quomodo odias aut deseras præterita mala. Verissimum est enim prouerbiū. Et omni doct. in a. hursig. de poenit. dat a prestantiss. O tima Poenitentia. Noua vita. Ibid. Haec tristitia, de peccatis præteritis, facit hypocritam, imò magis peccatorem. Et Non ego in usu. Scriptura Poenitentia dicitur dolor, sed mutatio vitæ & consilii. Sic in epist. ad Staullium.

II. Sed in art. Smalcaldicis mutauit sententiam: quam tenent hodie nobiscum Lutherani, & Calviniani.

SVADET Lutherus istis. 1. Quia Lactantius ait *πιστὸς οὐκ*, significare Resipiscentiā; non odium peccati. 2. Gal. 6. In Christo IESU neg. Circumcisio, neque præputium aliquid valet sed Nova creatura. 3. Quia. 2. Cor. 7. secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur. q. d. non actus vitæ odium, sed amor no. æ. Nam factum infectum fieri nequit: itaq; factum dolere, stultum est.

A V T O R. Peccati memoria & detestatio necessaria est poenitenti. Teste in Scripturis Deo, Prophetis, Christo, Apostolis, & Patribus ac ipsismet Lutheri & Calvinistis: apud Bell. l. 2. c. 4. Adeo ab omnibus peccatores ad odium peccatorum

vocantur. Manet igitur illud S. Gregorii hom. 34. in Euang. *Pœn. est mala perpetrata plangere; & plangenda non perpetrare.* Quia naturalis est mortalibus Synderesis, male facta flagellans intus verbere cœco. S. Aug. l. 50. homeliarum hom. 27. *Nemo eligit vitam nouam, nisi quem veterem poenitet.* Nec secus intelligi Poenitentia potest.

D I C O A D I. At ibid. l. 6. diuin. Institut. c. 24. addit, *eos verè resipiscere, quos errati poenitet.* Et vanum est insistere etymologiae vocis magis, quàm vsui.

A D II. Poenitentia, vt & Baptismus, est via ad nouam creaturam: non amplius Circumcisio. Proinde dicitur, Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum.* Act. 8. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua.*

A D III. Ibi tristitia non est dolor de peccatis, sed mœror de obiurgatione natus, inducens ad poenitentiam.

Q V Æ S T I O L X X X V I I I .

An includatur in Contritione Propositum rectè viuendi?

LUTHERANI variant. I QVI Contritionem Fidei prorem esse volunt, & Poenitentiam diuidunt in Contritionem & Fidem; j Contritionem definiunt terroribus & odio peccati; Fidei verò esse factum sicut rectè viuendi propositum. Sic ferè piet. q. 10.

II. QVI Contritionem Fidei posteriorem asserunt, vt Lutherus, & Calvinus. *Iust. l. 3. c. 3.* hi admittunt bonæ vitæ propositum in Contritione contineri.

SVADENT itaque priores istis. 1. Dauid tantum dixit, *Peccauit.* Nihil itaq; solum poenitentiam egerunt oratione & ieiunio: Sic prodigus, sic Publicanus: Nil de proposito vllo. 2. Contritio sufficit ad veniam: at propriè solum includit actum quod nollemus. Et in se Deum sine proposito aliter viuendi: ergo sine hoc potest illud solum iustificari possumus. 3. Dolor de peccatis admissis virtute includit melioris vitæ propositum: ergo sufficit solus. &c.

V V 2 A V